

ditio non est universalis, quia non agitur de factis publicis, maximi momenti, ex quibus pendet regimen ecclesiasticum aut politicum. Traditiones autem constantes, universales, de factis publicis et maximi momenti, sunt certissimæ.

Notabimus, 1^o. ad stabiliendam alicujus facti veritatem non requiri ut omnes prædicti characteres in illo reperiantur. Quandoquæ vel unus sufficit.

2^o. Non sumus locuti nisi de characteribus qui invictam certitudinem pariunt, non verò de pluribus aliis qui factum aliquod credibile efficiunt: quale est, v. g. testimonium unius historici et testis, cujus probitatem suspicandi ratio nulla est, et qui sinceræ bonæque fidei multa indicia præ se fert.

His prælibatis, nunc probandæ sunt variæ propositiones quas antea prænuuntiamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Moises non fuit persona ficta, sed exstitit et fuit legislator judæorum, et quidem antiquissimis diebus ac circiter iis temporibus quibus exstitisse fertur à christianis.

PROB. prima pars. Nempè Moisen exstitisse et fuisse judæorum legislatorem.

1^o. Nemo ex Deistis, nemo sanæ mentis negare potest Cæsarem, Pompejum olim exstitisse, Solonem fuisse atheniensium legislatorem, etc. Hæc facta negari non possunt, quin funditus convellatur tota fides historica: atqui existentia Moïsis non minùs certa est quàm exis-

tentia Cæsaris, Pompeii, Solonis, etc. Nam Cæsaris, Pompeii, etc., existentia non constat nisi per famam constantem et variorum historicorum testimonia: atqui constans fama et innumeri historici testantur pariter olim Moïsen exstitisse atque ipsum fuisse judæorum legislatorem. 1^o. Quidem illud constat famâ publicâ ad nos usque transmissâ, uti negari non potest. 2^o Illud testantur innumeri historici. Ita liber Josue, Judicum, Regum, Danielis; uno verbo, omnes libri sacri. Ita historici profani innumeri, Diodorus Siculus, lib. 4. Strabo, lib. 16. Plinius, lib. 50, sect. 2. Trogius Pompejus, Justinus, Tacitus, Juvenalis, Galienus, Longinus, etc.

2^o. Illud constat ex testimonio judæorum simul et samaritanorum, qui licet in omnibus ferè oppositi, Moïsen tamen suum legislatorem constanter venerati sunt.

3^o. Illud constat ex consensu veterum paganorum qui religionem judaicam et christianam impugnârunt. Ita Appio, Celsus, Porphyrius, Julianus apostata, hujusque magister Libanius, qui tot contrâ judæos et christianos scripserunt, quorum multi intererat illud factum negare (siquidem exindè multum judæis et christianis nocuissent), quibus tamen de hac re nullum dubium fuit. Quid porrò causæ est cur in eo consenserint, nisi rei evidentia coacti?

4^o Sanè non potest negari olim exstitisse populum judaicum ipsum, tempore Cæsaris, Augusti, Titi, et Vespasiani à quo dissipatus est, Palæstinam occupasse ipsumque suas habuisse leges. Negari non potest harum

legum exstitisse conditorem. Jam verò autor illarum legum ab omnibus dicitur Moïses. Nullus alius illarum legum autor assignari potest ab incredulis, quorum aliundè parvi refert quo nomine appelletur iste legislator. Ergo Moïses fuit judæorum legislator.

PROB. secunda pars. Nempe, antiquissimis diebus et iis circiter temporibus quibus à christianis vixisse fertur, Moïsen exstitisse.

1°. Moïsen diù antè bellum trojanum exstitisse et leges judæis dedisse innumeri historici græci referunt: ita Polemo in lib. 1. historiæ græcorum, Appio, filius Possidonii, in Tractatu contrà judæos; Ptolomæus Mendasianus, in historia ægyptiaca; Hellanicus Philocorus, Castor, Tallus, Alexander, Polyhistor. Hos omnes citat Sanctus Justinus in cohortatione ad græcos, et ex iis testimoniis concludit Moïsen omnibus legislatoribus longè antiquiorem fuisse, nec quidem immeritò id concludit. Nam ii omnes historici nunquàm tantam antiquitatem Moïsi et legibus judæorum concessissent, nisi rei evidentia ad id coacti fuissent; cùm enim judæi aliis nationibus semper contemptui et odio fuerint, istæ nationes nunquàm ipsis tantæ antiquitatis privilegium unanimes ore concessissent, si iis temporibus quibus veritatem detegere facilius erat, fuisset dubitationi locus.

2°. Omnes SS. Patres in suis scriptis de Moïsis ac ipsius legum antiquitate sic statuere, quasi vera et certa sit. Clem. Alex. Strom. lib. 1. hanc probat ex testimonio Megastenis, qui tempore Seleuci-Nicanoris vixit et historiam de iudis scripsit. Origines idem con-

ficit ex consensu ipsius Celsi, necnon ex testimonio plurimorum autorum paganorum, v. g. Hermippi. S. Cyrillus, lib. 4, contrà Julianum eandem antiquitatem pro certo ponit, et plures autores græcos appellat qui hanc antiquitatem testantur. Eusebius præpar. Evang. lib. 9. sect. 27. licèt Moïsen tempore Creecopis vixisse affirmet, id est, quadringentis circiter post Inachum annis, hunc tamen antè bellum trojanum exstitisse refert.

Ex quibus omnibus sic argumentor. Factum negari nequit, quod ab infensissimis christianæ et judæicæ religionis hostibus admissum est, eo tempore quo facilius erat illud negare, si commentitium fuisset: atqui ex autoribus paganis à SS. Patribus citatis constat antiquitatem Moïsis ab infensissimis christianæ et judæicæ religionis hostibus admissam fuisse, eo tempore quo facilius erat illam pernegare si commentitia fuisset; ergo, etc.

Præterea ex paganis autoribus antea laudatis nullus contrà hanc antiquitatem argumentatus est; hæc enim argumenta SS. Patres retulissent, eaque saltem dissolvere tentavissent; nec enim assolent adversariorum argutias etiam difficiliore omitttere; ergo ut certissima et indubitata tunc habita est Moïsis antiquitas.

Frustrà objiceretur opera paganorum quæ modò laudavimus, non ampliùs extare, ac consequenter nullius esse ad probandum ponderis. Nam hæc opera citantur à Patribus et à Josepho; ergo tunc extabant, paganisque erant cognita. SS. Patres et Josephus nunquàm hæc paganis opposuissent, nisi hæc præ manibus habuissent: aliòquin sese omnibus deridendo propinas-

sent, et à paganis ut mendaces insignes traducti fuissent. Insuper, exstant adhuc opera multorum autorum qui Moïsis antiquitatem laudant, v. g. Diodori Siculi, Philonis, Josephi, Strabonis, Troji Pompeii, Juvenalis, Longini, etc. Ex his claret multum aberrasse autorem cui libri titulus, *le Despotisme oriental*, qui deliravit Moïsen esse personam allegoricam, omnesque ipsius libros non esse historicos, sed meras allegorias complecti. Quis enim liber ut historicus habebitur, si libri Moïsis non sint historici! Quis autor reverà extitisse dici potest, si Moïses verè non exstiterit, sed fuerit tantum persona fictitia et allegorica?

PROPOSITIO SECUNDA.

Moïses verus est autor Pentateuchi.

PROB. 1°. Moïses, ex conclusione præcedenti, populo judaico leges tradidit. Jam verò has leges scriptis mandare debuit; tot enim caeremoniæ, tot præcepta, quorum plurima sub pœna capitis præscribebantur, è memoria judæorum excidissent, atque ab ipsis observari minimè potuissent, nisi Scriptis mandata fuissent: atqui nullum librum reperire est in quo hæc leges literis consignentur, præter Pentateuchum; ergo, etc.

PROB. 2°. Ex testimoniis quibus jam probatum est Moïsen extitisse et fuisse judæorum legislatorem. Scriptores enim iidem, sive sacri, sive profani, quos tunc appellavimus, Moïsen memorant ut autorem legum judaicarum quæ in Pentateucho leguntur.

3°. Ex eo quòd Porphyrius, Celsus, Julianus apos-

tata religionis christianæ et judaicæ hostes nunquam illud negaverint, sed admiserint.

4°. Nemo est sanæ mentis, qui contendat Homerum, Virgilium, Tullium non esse autores operum quæ ipsis tribuuntur. Idèò adversus Harduinum qui opera Heratitii, Virgilii, Homeri, veterumque autorum ferè omnium scriptoribus recentioribus et sæculo duodecimo non anterioribus adscripsit, totus orbis litterarius reclamavit: atqui non minus insanum est asserere Moïsen Pentateuchi non esse autorem. Idèò enim ab omnibus creditur Homerum, Tullium esse autores librorum qui ipsorum nomine inscribuntur, quia ita testatur constans traditio græcorum et latinorum: atqui tota retrò antiquitas, constansque traditio Moïsi Pentateuchum adscribunt, nempe judæi omnes; christiani, ut notum est omnibus; ipsi mahumetani in Alcorano, necnon pagani, Longinus, v. g. qui hæc verba Moïsis, *fiat lux et facta est*, ut sublimia laudat; Juvenalis qui de ingenti volumine Moïsis loquitur satyrâ 14. Diodorus Siculus et alii quos jam citavimus. Uno verbo, antè Spinosam, Hobbesium, Perrerium, fortè etiam Abenesram, Rabbinum non optimæ notæ apud suos, nemo est qui hunc librum Moïsis opus non existimaverit. Ergo, etc.

PROB. 3°. Si Moïses Pentateuchum non scripsisset, sanè notum fuisset toti nationi judaicæ ipsum scriptis non mandasse leges in Pentateucho contentas. Rem enim tanti momenti, quæ suum legislatorem spectabat, tota gens non potuit ignorare. Sic christiani sciunt ipsum Christum non scripsisse Evangelia. Jam verò, si tota gens cognoverit Moïsen leges in Pentateucho con-

tenfas non scripsisse, quo pacto igitur in decursu temporum fieri potuit ut lex in Pentateucho contenta sub nomine Moïsis vulgaretur? Numquid hodiè vulgari posset codex legum sub nomine Henrici IV, quem sciunt omnes ab ipso non fuisse conditum? Non ita sanè. Ergo, pari ratione, etc.

6° Vel Moïses est autor Pentateuchi, vel Esdras, ut asserit Spinoza quem hic confutamus: atqui Esdras non est illius libri autor. Samaritani enim, qui omnes alios judæorum libros constanter rejecerunt, nec ipsum Pentateuchum admisissent, si Esdras fuisset illius libri autor: atqui tamen samaritani Pentateuchum ut Moïsis opus agnoverunt atque venerati sunt; ergo, etc.

7° Juxta Spinosam, Moïses scripsit librum bellorum Domini. Jam verò probabile non est Moïsen bella, castametationes judæorum scripto tradidisse, et tamen nihil conscripsisse de exitu isaëliitarum ex Ægypto, suasque leges cum ea prolixitate quæ conveniebat literis non mandasse. Cur bella judæorum scriptis consignasset, omisisset verò prodere literis innumera alia facta quæ cum legibus connexa erant, quibus in factis tantam partem habuerat? Quâ ratione præsertim literis mandare omisisset leges quas ut divinas et ab omnibus observandas tradebat?

Ex his colliges, 4° Pentateuchum esse genuinum. Nam ille liber genuinus dicitur qui est autoris cuius nomen præ se fert et cui vulgo tribuitur: atqui talis est Pentateuchus; ergo, etc.

Colliges, 2° procul abjiciendum esse systema Richardi Simonis, quod in sua critica veteris Testamenti

exponit, quodque in his quinque præcipuè consistit. Contendit nempe, 1° semper et ipsa ætate Moïsis fuisse apud judæos viros prophetas et à Deo inspiratos, qui publicâ auctoritate firmati omnia facta alicujus momenti in annalibus nationis referrent. 2° Annales illos in tabulariis judæorum servari solitos, captivitatis tempore, ita dispersos fuisse et à se invicem dissociatos, ut nullus inter ipsos ordo remaneret. 3° Esdras sacerdotem annales istos, solutâ captivitate, collegisse et in epitomen contraxisse, ita ut libri veteris Testamenti sint tantum summaria illorum annalium. 4° Periisse primigenios annales ex quibus extracta erant summaria. 5° Quod potissimum ad rem nostram attinet, Moïsen non scripsisse nisi leges quæ in Pentateucho leguntur; facta verò historica, bella, migrationes nationis, etc., fuisse à scriptoribus publicis, à Deo tamen inspiratis, Moïsisque jussu conscripta. Jam verò illud systema procul abjiciendum est, quanquàm, ut acerbius Richardo Simoni à quibusdam exprobatum est, Pentateuchi inspirationem non deleat; siquidem hujus operis scriptores et Esdras ejusdem operis, ut ille vult, emendatorem ac contractorem inspiratos dicit, ut videre est in ejus libro quem proximè laudavimus.

4° Itaque non probat Richardus Simon, sed gratis ponit pro certo scriptores publicos et à Deo inspiratos semper fuisse apud judæos, ipsaque Moïsis ætate jamjam extitisse, Moïsenque jussisse ut ipsi Pentateuchum scriberent. 2° Quanquàm Moïses in sententia Richardi Simonis aliquam partem habuerit in toto Pentateucho, ipso jubente nimirum ut à viris publicis conscribere-

tur, attamen certum est in ipsius sententia Moïsen verè non esse autorem nisi legum Pentateuchi, ac consequenter maximam illius libri partem ab ipso non fuisse conscriptam. Atqui tamen Moïses semper habitus est ut autor totius Pentateuchi, dictus est autor illius libri sine exceptione ulla, non verò partis tantùm illius libri. Constat ipsum reverà fuisse totius Pentateuchi autorem, ex argumentis 3, 4, 5, 6, quibus propositionem præcedentem comprobavimus. 5° Si Pentateuchus quem nunc habemus esset duntaxat epitome, seu summarium veterum gentis judaïcæ annalium ab Esdra contractum; si non esset verum Moïsis opus, samaritani, ut potè judæorum inimici, sanè nunquam illud opus tanquàm opus Moïsis accepissent, sed suo Pentateucho stetit, novumque illud compendium rejecissent, sicuti rejecerunt alios Esdræ libros quos admittebant judæi; consequenter Pentateuchus quem admittunt judæi esset tantùm Pentateuchi samaritanorum, epitome, et ei non foret similis: atqui iamen ambo isti libri sunt consimiles, ergo, etc. 4° Habetur hic et nunc Pentateuchus samaritanorum, qui, cùm exaratus sit literis antiquis hebraïcis antè captivitatem babilonicam usitatis, consequenter ante illam captivitatem et antè Esdræ tempora scriptus est. Pentateuchus verò Esdræ exaratur characteribus hebræo-chaldaïcis, qui post captivitatem in usu fuerunt. Jam verò duo isti codices sunt similes. Ergo, codex Esdræ seu judæorum non est veterum codicum epitome. Cum enim ille codicibus captivitate babilonicâ et ipso Esdra antiquioribus, nempè codicibus hebraïcis characteribus antè captivitatem exa-

ratis consimilis sit, claret hunc ipsissimum esse Moïsis Pentateuchum, non autem meram ejus epitomem. 5° Testatur Josephus contra Appionem in antiquo Canone judæorum quinque Pentateuchi libros sub nomine Moïsis recenseri; ergo sunt Moïsis. 6° Versio Septuaginta Interpretum et plures aliæ paraphrases antiquæ constanter Moïsi Pentateuchum tribuunt. Ergo, etc.

Nota. Licèt Moïses solus totum Pentateuchum non scripsisset, nec scriptoribus dictifasset (quod absit ut dicamus); licèt leges tantùm scriptis mandasset, facta verò, ipso jubente et approbante, à prophetis publicis scripta fuissent, ad sensum Richardi Simonis, nihilo seciùs vera essent ea omnia quæ in Pentateucho memorantur, ut constabit ex innumeris argumentis in decursu adducendis. In profanis nonnulla extant opera, quorum autores ignoti sunt; iis tamen operibus fides non rarò adhibetur, si nempè, consultis artis criticæ regulis, fide digna judicentur.

PROPOSITIO TERTIA.

Moïses judæos sibi coætaneos non decepit, nec facta Pentateuchi confinxit, impièque eum impostorem dicunt Deistæ.

Cùm in eo potissimùm stent increduli, Moïsenque ut deceptorem calumnientur, ideò præsertim in hac propositione comprobanda immorabimur.

PROB. Itaque, 1° ille ut deceptor haberi non potest, qui nec voluit, nec potuit judæos decipere: atqui

Moïses nec voluit, nec potuit judæos decipere. 1°. Quidem noluit. Nam qui vult alios decipere et eis falsa suadere, vias ad decipiendum idoneas adhibet, captandæ populi benevolentiaë studet, dura non loquitur, aspera non præcipit, blanditiis utitur; ita assolent impostores. At verò, Moïses judæis non indulget, sed molesta sæpè illis exprobrat, v. g. Noë ebrietatem, incestum Thamar, filiorum Jacob vin in Sichimitas, ipsorum in fratrem Josephum perfidiam, frequentes in Deum rebelliones, duritiem cordis, blasphemias, idololatriam, etc. Religionem acerbam et graves cæremonias præcipit, minacem sæpè vultum præbet; Core, Datàn et Abiron contra ipsum rebellantes severè puniuntur; cùm populus vitulum aureum adorasset, multa millia ipsius jussu à levitis trucidantur.

Impostor, cùm fabulas confingit, sermonibus obscuris et ambiguis utitur, facta remotis temporibus peracta, in angulo et coràm paucis testibus gesta seligit. Moïses verò facta publica, coràm ipsis judæis peracta commemorat, v. g. fluminum in sanguinem mutationem, maris sicco pede transitum, primogenitorum Ægypti occisionem. Candidum est ipsius dicendi genus, clarè loquitur, prodigia stupenda frigidè narrat, ea comprobare non curat. Sanè non ita sese gerunt impostores.

Impostor ambitiosus et scientiæ politicæ peritus, qualem Moïsen depingunt Deistæ, utilitatem, gloriam et sibi et suis inquirat, suos defectus et vitia occultat. At verò, Moïses unicè gloriam Dei quærit; quæcumque à filia Pharaonis speranda habebat, aspernatur; regiam

potestatem non suæ tribui, sed Judæ pollicetur; inter suos successorem non eligit, filii ipsius inter levitas sine honore permixti remanent; ipse narrat, Ægyptium à se fuisse occisum; suam Deo resistentiam et diffidentiam, sororis et fratris rebellionem, uno verbo, et sua et suorum delicta candidè aperit. Porro non sic agunt impostores, nisi crassioris sint ingenii: quod de Moïse dici nequit, tum ex consensu Deistarum qui illum ut virum fallendi peritum habent, tum quia si fuerit imbellis animo, sanè dici nequit gentem totam ab illo deceptam fuisse.

2°. Etiam si voluisset decipere, non potuisset. Nam Moïses, si judæos, si coætaneos fefellerit, illos profectò vel in miraculis, vel in aliis factis historicis, vel in doctrina, vel in legibus decepit: atqui illos decipere non potuit nec in miraculis, nec in aliis factis, etc. 4°. Non in miraculis. Enim verò, ut ipsos in miraculis deciperet, opus fuit ut ipsis persuaderet miracula quæ in Pentateucho referuntur, coràm ipsis verè peracta fuisse, licèt tamen aperta essent mendacia: debuisset, v. g. ipsis suadere Ægypti regnum multis plagis in eorum conspectu fuisse percussum, licèt tamen illas plagas non conspexissent; primogenitos Ægypti omnes unâ nocte, ipsisque testibus, occisos fuisse, licèt istius cladis non fuissent testes; illos mare rubrum sicco pede trajecisse, licèt non pertransierint; per noctem columnâ igneâ fuisse illuminatos, licèt non illuminati fuissent, per quadraginta annos in deserto manna cœlesti fuisse pastos, licèt manna non vidissent nec comedissent: per idem temporis intervallum detrita non fuisse eorum

vestimenta et calceamenta, licèt sæpè detrita fuissent; ipsos in monte Sinai tonitrua audivisse, erumpentes flammæ conspexisse, cùm lex daretur, licèt quidquam simile nec vidissent, nec audivissent; hæc enim omnia miracula in Pentateucho coràm israelitis et ipsorum gratiâ patrata leguntur. Atqui impossibile est ut Moïses hæc omnia suaserit integræ nationi in qua erant circiter duo milliones hominum; impossibile est ut natio integra eò usque decepta fuerit, ut crederet se videre quæ non videbat, audire quæ non audiebat, comedere quæ non comedebat. Id dicere, affirmare est totam gentem et homines quasi innumerabiles subito delirasse, suis organis et suis sensibus orbatos fuisse: quod dictu absurdum est.

Nec etiam illos in aliis factis, vel doctrina, vel legibus decepit. Nam simul primùm ac probatum est à Moïse judæos, in iis quæ ad miracula attinent, non illusos fuisse, statim probatum manet vera esse miracula quæ in Pentateucho memorantur, eo ipso certissimè constat Moïsen fuisse à Deo inspiratum et missum, ut alibi demonstravimus; consequenter vera esse et credenda quæcumque ab ipso in libris Pentateuchi referuntur.

PROB. 2^o. Judæi Moïsi coætanei vel fuerunt testes miraculorum quæ commemorantur in Pentateucho, vel non fuerunt testes. Atqui, in utraque hypothesis, dicere absurdum est eos fuisse à Moïse deceptos. 4^o. Quidem si fuerint testes, non potuerint enim esse testes illorum factorum, quin reverà exstiterint illa facta. Nam prius est existere illa facta quàm videri. Neque dicatur

eos credidisse se videre hæc miracula, licèt non viderent, et Moïsen suis præstigiis ipsis fucum fecisse. Quantumvis enim Moïses fingatur in arte fallendi peritus, quantumvis subtilis illusor et præstigiator ab incredulis excogitetur, manifestum est hunc non potuisse eò usque judæos ludificari, ut illis persuaderet sicco pede semetipsos mare rubrum trajecisse, si non trajecerint, per quadraginta annos manna cœlestis comedis, si non comederint, etc. Sanè quisquis bonæ fuerit fidei, imò quisquis rationis compos et particeps, lubenter fatebitur præstigiatores, quantumvis sint periti, non posse ludificari, nec illudere in factis tam publicis, tam sensibilibus, quæ omnium observantur oculis, qualia sunt, uno verbo, ea quæ modò memoravimus et quæ in Pentateucho perleguntur.

2^o. In altera hypothesis, id est, si judæi Moïsi coætanei miraculorum quæ in Pentateucho memorantur non fuerint testes, pariter ab illo non potuerint decipi. Nam in hac hypothesis non potuit Moïses illos decipere quin ipsis suaderet facta quæ in Pentateucho perleguntur, fuisse antè oculos eorum peracta, quanquàm reverà hæc non vidissent: atqui impossibile est ut judæi admiserint quæ in Pentateucho perleguntur fuisse antè oculos suos peracta, si reverà hæc non vidissent. Nam inter ea facta multa sunt quæ judæis indecora sunt, v. g. perpetuæ eorum in Deum rebelliones, murmurationes, beneficiorum à Deo acceptorum oblivio, vituli aurei adoratio, etc. Jam verò contrà hominis naturam et indolem est admittere facta quæ dedecus afferunt, nisi vera sint et certissimè comprobentur, ergo fieri nequit

ut tota gens admiserit facta, quorum permulta ipsi decus pariunt, fuisse antè oculos suos peracta, si reverà antè ipsius oculos non fuerint peracta; fieri nequit ut tota gens fateatur se vidisse ejusmodi facta, quæ tamen non vidit.

Prætereà, Moïses judæis in Pentateucho leges præscribit, quarum permultæ sunt onerosæ: talis erat, v. g. circumcisio quâ aliis gentibus erant ludibrio, tales innumeræ ablutiones, decimæ quas levitis solvebant, etc. Aliundè, sæpè dura loquitur Moïses. Hinc sæpè contrà ipsum rebelles fuerunt et murmuratores. Ergo, si Moïses ipsis persuadere voluisset facta de quibus in Pentateucho loquitur antè eorum oculos peracta fuisse, licèt tamen hæc non vidissent, sanè ipsum ut mendacem et impostorem redarguissent, ipsius legibus adhærere non consensissent; aliòquin judæi non fuissent constituti sicuti omnes alii homines, qui in similibus circumstantiis sic constanter agunt. Ergo, etc.

PROPOSITIO QUARTA.

Facta Pentateuchi supposita et conficta non fuerunt à Moïse simul et à judæis ipsi coætaneis, ut posteros deciperent.

PROB. 4^o Nam si ita esset, dicendum foret Moïsen et judæos simul fuisse impostores, ipsos ex compacto hanc fraudem machinatos fuisse, fabellasque ex mutuo consensu sibi honorificas excogitasse: atqui illud repugnat. 1^o. Quidem istud de Moïse dici non potest, uti demonstravimus in propositione præcedenti. 2^o. Nec

etiam illud de judæis affirmari potest. Nam si judæi fraudi Moïsis consensissent et in confingendis Pentateuchi factis cum ipso conspirassent, vel illud nefandi compacti quidam duntaxat judæi inculpandi essent, vel tanto crimine tota natio insimulanda foret: atqui utrumque perabsurdum est.

Primum quidem. Si enim quidam duntaxat judæi in hoc nefando dolo cum Moïse convenissent, ergo alii omnes fraudem hanc non admisissent, ergo facta Pentateuchi rejecissent, Moïsen ut impostorem habuissent; consequenter eorum posteri, qui sanè à patribus talem fraudem didicissent, quique ignorare non potuissent fallaciam tam apertam, tanti momenti, et maximæ gentis suæ parti cognitam, nunquam Moïsen ut prophetam unanimi consensu venerati fuissent. Præsertim in schismate samaritanorum quod non multùm ab ætate Moïses dissitum fuit, fraus aperta fuisset. Ambæ illæ nationes sibi invicem inimicissimæ exindè schismatis et disputationis occasionem avidè arripuissent. Atqui tamen tota natio, quin imò samaritani simul et judæi, nemine quidem excepto, Moïsen ut Dei legatum venerati sunt. Ergo, etc.

Secundum non minùs absurdum est. Nam; 4^o. quis credet gentem totam in confingendo integro mendaciorum libro conspirasse? Quis credet tot hominum millia connaturalem omnibus veritatis amorem simul exuisse, ac fraudulentò consilio adhæsisse? Insuper numquid impostores fraudes suas tot hominibus committere solent? 2^o. Etsi forsàn quædam è factis de quibus loquimur populo judaïco sint honorifica, innumera sunt

quæ ipsis opprobrio erant, ut antea exposuimus; nonnulla insuper, quæ, cum aliis gentibus essent indecora, gentium illarum odia in judæos concitabant, quæque commentitia ab illis gentibus facile demonstrata fuissent, si hæc procul à vero fuissent: hujusmodi erant plagæ ægyptiæ, primogenitorum occisio, ægyptiorum immersio in mare rubrum, etc. Quis autem crediderit gentem judaicam integram simul cum Moïse confinxisse et supposuisse facta sibi probrosa, quæ hanc gentibus alienis invisam reddebant, quæ istarum gentium in eam odia et inimicitias concitabant, etc.? 5°. Quis in suum inducet animum gentem integram acceptasse leges, disciplinam, cæremoniasque graves admodum et incommodas, si has leges mendaciis suffultas cognovisset, præsertim cum illa natio ad idololatriam et rebellionem tam proclivis esset? Numquid passa fuisset plures è suis, propter causam tam malè suffultam, mortem subire? Numquid tribus Ruben et Simeon ætate majores honorem sacerdotii filiis Levi et sceptrum filiis Judæ cessissent? Numquid istæ tribus, quæ tam sæpè cum aliis concertaverant et inimicitias gesserant, suis privilegiis ex titulo mendaci et conficto sese spoliari sustinuisent? Hæc omnia sanè cum natura et constitutione hominum pugnant. 4°. Etsi judæi omnes Moïsi coætanei tam nefandum dolum machinari potuissent, et in tam criminosa fraude conspirare, saltem repugnat dolum hunc latitasse. Fieri non potuit ut arcanum tot hominum millibus commissum diu lateret. Fieri non potuit ut posterii illorum judæorum penitus hanc fraudem ignoraverint. Fieri non potuit ut saltem quidam

è judæis inter varias seditiones, inimicitias, ac bella civilia quæ non rarè inter ipsos exorta sunt, inter cruciamenta quæ religionis suæ causâ perpessi sunt, fraudem non confiterentur; atqui tamen, istud nunquam contigit, sed omnes judæi, cunctis temporibus, suam religionem, Moïsenque suum legislatorem summè venerati sunt. Ergo, etc.

Hucusquè probatum est facta quæ in Pentateucho referuntur neque fuisse conficta à Moïse, neque à judæis Moïsi coætaneis. Demonstrandum igitur superest hæc post ætatem Moïsis non fuisse conficta nec supposita.

PROPOSITIO QUINTA.

Historia Pentateuchi et facta quæ in eo referuntur, à nemine post ætatem Moïsi conficta fuere, vel supposita.

PROB. 1°. Constat, nec diffitentur increduli, judæos historiam Pentateuchi, et facta quæ in eo perleguntur, pro veris habuisse: atqui tamen, si hæc facta post Moïsis ætatem fuissent ab aliquo impostore conficta, sanè nunquam à natione judaica fuissent admissa; quippè, ut jam diximus, ex iis factis multa sunt judæis indecora; gens autem integra nunquam admittet unanimi ore facta sibi indecora, nisi certissima sint. Reverà hominum vulgus lubenter audit viros sibi ipsi grata et honorifica loquentes; at verò nusquam tota natio plaudet auctori qui facta nova, hucusquè inau-